

in scientiis elegantioribus, sanctioribusque disciplinis et proficere, et praestare potui, a VOBIS, VESTRAQUE splendidissima liberalitate initium, et primum suum repetit incrementum. Quia autem probe intelligo, VOBIS pro immortalibus, quae in me extant, meritis VESTRIS non satis ornate me gratias agere posse, a VOBIS demississima mente oro et contendo, ne id tenuitati orationis meae, sed magnitudini beneficiorum VESTRORVM tribuendum esse putetis. Nulla enim tam magna extat ingenii ubertas, neque tanta dicendi copia, nec tam diuinum et incredibile genus orationis, quo VESTRA in omnes literarum cultores, et in primis in me uniuersa promerita, una cum tota republica literata in Saxonia nostra, non dicam, complecti orando, sed numerando possim percensere. Accipiatis igitur, MAECENATES et PATRONI OPTIMI MAXIMI, accipiatis, quaeso, gratiosissime hoc studiorum meorum academicorum specimen publicum loco testimonii gratissimae mentis, efficiatisque, ut imposterum VESTRO patrocinio et munificentia adiuti omnes mei conatus perfici queant, et tota mea fortuna secunda magis magisque efflorescere possit, studiaque mea, pro VESTRA, qua polletis auctoritate tueamini. Ceterum VOBIS persuasum habeatis, submississima mente precor, huic demississimae gratiarum actioni, quam VOBIS pro tantis in me collatis beneficiis merito debeo, et quorum memoria, ut nulla unquam obliuione, et culpa mea oblitteretur, omni tempore studebo, unum, idque simplex, quod complectitur MAECENATVM *salutem*, uotum me esse iuncturum. Annuat summum Numen his meis indefessis et ardentissimis precationibus, quod nunquam appello, et nunquam precor, nisi PATRONORVM meorum GRAVISSIMORVM *salutem*, ipsorumque GEN-TIUM SPLENDIDISSIMARVM *felicitem* eidem uotis et precibus meis commendem: Vosque omnes in magnum patriae emolumentum adhuc multos per annos factos, tectos, saluos, incolumesque esse cupiam. Valete. Dabam Vitebergae Saxonum. Ad diem XVIII mensis Iunii. A. P. C. N. CIO IO CC LVI.

MARTY.